



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

I. Sacerdotum in Anglia vxores & spurij in summo sunt contemptu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

- II. De Puritanis hæreticis.  
 III. Rigidum contra Catholicos Edictum.  
 IV. Catholici quidam Angli martyrium passi.  
 V. P. Patissonii martyrium, & incredibilis quarundam  
 seminarum constantia.  
 VI. Sex Religiosorum conuentus ex Anglia emigrant:  
 moniales vero quod Anglos aliquot ad Catholi-  
 cam fidem conuertissent, puniuntur.

I. Possamusne dicere, Thebanos iure merito in templo quodam super quadrata colum-  
 na tabulam collocasse, in qua diræ & horribiles  
 execrationes contra Minya, eo quod Ægyptios à  
 tranquilla & frugali vita ad voluptariam tradu-  
 xisset insculptæ erant utique dices. & non hære-  
 siarchas illos detestabimur, à quibus tot homines  
 abiecto castitatis voto, in immundam omnis im-  
 munditiæ abyssum præcipitati sunt, & tamquam  
 Herculis olim sacerdotes, qui femineo habitu  
 sacrificarunt, tandem à carnis voluptatibus victi,  
 femine contubernium Deo prætulert? Apud  
 Romanos Flamini Diali fermentum degustare  
 nefas erat, eo quod corruptionis sit symbolum,  
 & si nimium in farinam, mittatur, panem acidum  
 & ingratum reddat. At quam multi sacerdotes  
 Christiani fermentum illud corruptionis & im-  
 munditiæ degustarunt, quod postea panem il-  
 lum Ecclesiæ sanctificatum, quo anima & corpus  
 nostrum nutriuntur, corruptit? Fermentum hoc  
 leues illæ & lasciuæ fuerunt femine, quorum im-  
 pudico amore Noui illi Episcopi, excucullati mo-  
 nachii, perfidi sacerdotes, Canonici & quicum-  
 que alij Clerici, pudicitæ & continentie non mi-  
 nus arce bellum indixerunt, quam prædecessores  
 illorum & prisca sacerdotes contra carnis libidi-  
 nes gesserunt. Gulielmus Rossæus (a) infamibus  
 hæreticorum matrimonijs nihil frequentius esse dicit,  
 quam adulteria & repudia: ut licium inde natarum  
 frequentia testatur. Inter Anglicanos Ministros Se-  
 bastianus Hasius inquit, frequens esse velut mercimo-  
 nij genus, vxorum permutationem. Poyneus Victo-  
 rianus Episcopus, sua non contentus, alienam  
 etiam vxorem rapuit ac Maria regnum exorsa  
 male conscius in Germaniam Argentoratam vs-  
 que profugit (b) Cranmerus ille Mulierosus, & bi-  
 gamus Archiepiscopus, ducta in Germania Osta-  
 dri Hæresiarchæ nepte (c) quacumque iter face-  
 ret concubinam arce inclusam, inter supellecti-  
 lia secum vexit, illam necessitatis vas appellans.  
 Castellus concionator quidam, Crescens vulgi

ioco dictus fuit, eo quod omnifere sermone illud,  
*Crescite & multiplicamini*, inculcaret. Quia vero  
 vxorati hi Episcopi à regi ordinibus impetrare  
 non potuerunt, vt proles ipsorum haberentur legi-  
 tima, & plerique tam infelices erant vt scorta  
 fere pro vxoribus duxerint: præscriptum est à  
 regina, vt nec presbyteri nec Episcopi vllam deinceps  
 feminam in coniugium acciperent, nisi  
 prius certorum hominum iudicijs approbatam.  
 Nihilominus tamen pauci inueniebantur, qui  
 id genus hominibus etiam Archiepiscopis, filias  
 suas vxores dare vellent; conubia hæc infamia  
 esse existimantes. Collegiorum quidem Rectori-  
 bus permissus erat coniugij vsus interdista tamen  
 vxorum in collegijs cohabitatio, ne iuuentus sci-  
 licet corrumperetur. Nihil certe fere vquam  
 hæreticistam probrosum fuit, quam ista tam con-  
 iugiorum quam prolis publica & omnium iudi-  
 cijs approbata infamia. In lege Mosaiica agnum  
 paschalem manducaturis præceptum erat, vt à  
 seminarum vsu abstinerent (d) at lasciuilli hirci  
 nisi concubinam habeant, vix dignos se putant  
 qui sacra tractent. Atqui dogma hoc nequaquam  
 ex Conciliorum canonibus hausert, qui celibat-  
 um sacerdotibus iniungunt. Concilium Nice-  
 num I. (e) sacerdotibus prohibet, ne vllam feminam,  
 exceptis matre, auia, & sorore domi secum habeant.  
 Quis vxorum mentionem non ibi facturum fuisse  
 Concilium putet, si eas sacerdotes habuissent?  
 Calixtus Papa expressis verbis cœlibatum presby-  
 teris præcipit (f) Clemens I. (g) Leo I. (h) Grego-  
 rius. (i) Origenes (k) aiunt, et tantum qui castitatis  
 votam fecerit, licere sacrificium offerre. Chrysostomus  
 in Homilia II. super Iob inquit, Episcopum  
 monogamum esse oportere, non quod hoc ita in Ecclesia ob-  
 seruandum sit, vt vxorem habeat vel habuerit. Sed  
 quod sacerdotem omnino castitate ornatum esse deceat.  
 S. Augustinus in libro de adulterinis matrimo-  
 nijs, Solemus, inquit, clericorum continentiam eu-  
 proponere. S. Hieronymus contra Vigilantium in  
 hæreticos nostri temporis sententiam damnationis  
 pronuntiat, qui adulterium castitati præferunt, &

a. Lib. de iusta Reip. in Har. animad. b. Godovinus  
 in Episcopo Vintoniensibus c. Idem in Archiepiscopo  
 Cantuariensibus. d. Exod. 9. e. Conc. Nic. I. can. 3. (f)  
 Calix. apud Grat. dist. 27. can. presbyt. g. Clem. I. in  
 can. Apost. can. 27. h. Leo I. epist. 82. i. Greg. epist. 42.  
 k. Orig. hom. 23. in Num.



matrimonium apud Deum in maiori precio esse dicunt quam ipsam virginitatem. Et quidem huic potissimum Virginitati hæretici iugulum inuaserunt, ut per eius latus ceteras omnes peterent atque extirparent. Negari certe non potest, plures libidinis flammis quam religionis studio accensos, in Anglia, Germania, Belgio & alibi passim ad hæreticorum castra transfugisse, & etiamnum transire.

II. Verum enim vero ut impurus hic Ministrorum concubinatus spurios quamplurimos exclusit; sic ipsa quoque hæresis notham quandam sectam exclusit, quæ olim tempore ita adoleuit ut matrem pæne ipsam suffocaret. Ex Reformatæ enim siue ea quam Elisabetha inuexerat, & Calvinistica secta inter se collatis alia quædam existit, quæ Puritanorum dicitur, eo quod ceteris puriore religionem habere se iactent. Anno M. D. LXXXVII. in Anglia libellus prodijt, in Gallicam linguam deinde ab Hugonota quodam traductus, cuius auctor id vnice persuadere conatur, inter Puritanos & Reformatos Christianos nihil interesse: idque nomen illis tributum, qui Ecclesiam ad eam normam quæ Geneuæ, in Gallijs & Scotia obseruatur, reformatam cupiebant. Idem tamen fateatur, Puritanos à ceteris Reformatis tamquam pestem aliquam odio atque execrationi haberi. Inter alia facinora Puritani hi, ut Calvinista in Gallia, clausulam illam, *Gloria Patri & Filio, &c. antiquitus ab Ecclesia ad refutandam Arrii & aliorum hæresin filium cum Patre adorandum esse negantium, Psalmis decantari solitus annexam, sustulerunt.* Quod si quis scire cupiat quid Puritani de Parlamentaria illa reformatione & vulgaribus Protestantibus sentiant; Rescij Atheismos legat. Quis vero non diuina quadam providentia factum dicat, vt dum in Anglia, Londini præsertim, persecutio Catholicorum summe feruet, Puritani ibidem contra Protestantes insurrexerint, eosque scriptis & concionibus mirum in modum exagitarint? Eorum tres tum erant antesignani; & quamuis omnes inter se dissenserint, singuli tamen Propheticum sibi spiritum arrogabant. Primus erat *Compingerus* quidam, qui *Pater misericordie* dici voluit. Secundus, *Ardentonus* nomine, *Iustitia & ultionis præco*: Tertius, *Harelolus*, foediori blasphemia *Christi imago* dici exoptans. Hi omnes Regiam seu Parlamentariam ecclesiæ formam vt supersticiosam & impiam redargebant, vt pote coronas suis capitibus asserere volentes, iuxta Apocalypticarum

locustarum naturam: Itaque in reginam etiam acerrime inuehebantur, quod à Cantuariensis Archiepiscopi & Hatroni Cancellarij nutu & arbitrio tota penderet: eò tandem progressi vt dicerent, *dignam esse reginam qua à Deo puniatur & regno etiam priuetur, nisi Prophetis ad salutem ipsius excitatis dicto esset audiens.* Nihil vero in omni Anglorum religione (si modo religio dicenda sit) tam religiosum erat, quod illi non vellicarent ac suggillarent. *Quin etiam futurorum prædictiones iactabant,* vt olim Pharisei tempore Herodis fungentes à Deo constitutum esse vt ablato regno ab Herode in alium transferatur, cuius ipsi essent futuri nutritij qui Phariseos fouerent, quibus alijsque artibus non reginam tantum, sed & uniuersam aulam, adeoque totum regnum miris modis perturbabant: sic vt quemadmodum hæresis Catholicam Ecclesiam persequeretur paulo ante, ita nunc non minus se ipsam conficeret, ac secum ipsa digladiaretur. Illud non sine causa miretur aliquis, repertos fuisse homines qui tam absurdis ac nefandis dogmatibus assentirentur. Sed nihil mirum: quum natura hominis tam nouitatis sit audivissima quam corruptionis. Nefario cuidam uebuloni, qui Iesum Christum, vel imaginem eius se esse ferebat, Londini Anno M. D. xci. die VII. Augusti publice in foro gula laqueo fracta est. Alius pseudopropheta, qui & ipse tamquam alterum Messiam, se ad dexteram Dei collocarat, morti iam vicinus, horribiles effudit blasphemias, Eliam inelamans, vt ignem cælitus ad perdendos homines demitteret, eoque non cadente, pessimam rem facturus circumstantibus imprecatus est vt à Papæ & peste pessimis modis perderentur. O homines, immo monstra plusquam furiosa! Atque vtinam cum huius vita inaudita hæc pessimorum hominum rabies fuisset extincta! quæ multorum animis diu postea inhæsit. Eo tandem Puritanorum erupit audacia, vt *Nortonus* quidam librum, quo Reginales seu Parlamentarios Episcopos, eorum vitam & mores virulente traducebat atque oppugnabat, in lucem emittere conatus sit. At quod ille facere ab alijs impeditus non poterat in Anglia, Scoti quidam Puritani abunde præstiterunt in sua regione pro fratribus suis zelum affluentes, multis tam contra Reginam quam Anglorum Protestantium religionem libris vulgatis, ex quo factum est, vt & ipsa toleraretur ab alijs, ferre coacta sit, vt & ipsa toleraretur ab alijs.